

consultantes, quisve ea locus fideli asservaturus custodia esset: optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo aedibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere: caetera, inter se onere partito, ferunt via, quae subilio ponte dicit ad Janiculum. In eo clivo eas quum L. Albinius, de plebe Romana homo, conspexisset, plaustro conjugem ac liberos vehens inter caeteram turbam, quae inutilis bello urbe excedebat: salvo etiam tum discrimine divinarum humanarumque rerum, irreligiosum ratus, sacerdotes publicos, sacraque populi Romani pedibus ire ferri, se ac suos in vehiculo conspicit; descendere uxorem ac pueros jussit, virgines sacraque in plastrum imposuit: et Caere, quo iter sacerdotibus erat, pervexit. — Adeo tum quoque in ultimis religio publica privatis affectibus antecellebat.

## CAPUT XII.

IMPII SERIUS OCIUS DANT POENAS.

1. Dionysius, quum fanum Proserpinæ Locris expilavisset, navigabat Syracusas, isque, cum secundissimo vento cursum teneret, ridens: *videtisne, inquit, amici, quam bona a diis immortalibus navigatio sacrilegis detur?* Atque homo acutus, quum bene planeque percepisset, in eadem sententia perseverabat: qui, quum ad Peloponnesum classem appulisset, et in fanum venisset Jovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis Carthaginiensium tyrannus Gelo: atque in eo etiam cavillatus est, aestate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum; eique laneum pallium injecit, quum id esse ad omne anni tempus diceret. Idemque Aesculapii Epidauri barbam auream demi jussit. Neque enim convenire barbatum esse filium, quum in